

Job XXII. *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* Nunc vero etiam in terris habemus Deum nostrum; et ut cum S. Chrysostomo, hom. XXIV. in 1. ad Corinth. loquar: *Dum in hac vita sumus, ut terrâ nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.*

Secundo, ut afflicti et angustiati majori confidentia ad ipsum confugeremus et auxilium speraremus. Hanc etiam ob causam fabricari Deus arcam voluit in lege veteri tamquam currum triumphalem, in quo suam præsentiam, opem et triumphum gloriosum exhibeat. Erde Deut. IV. ait Moyses: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Sed multo magis hoc dicere nos Christiani possumus, quibuscum in sacramento vere et corporaliter habitat Christus, (non angelus) Deus et homo. Quare uti David, in spelunca Odollam latens, factus est princeps afflictorum (conveniunt enim ad eum omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno et amaro animo) 1. Reg. XXII. ita Christus in eucharistia, quæ est memoriâ mortis ejus (sicut Odollam significat testimonium seu ornamentum miseriæ suæ) delitescens, tamquam rex omnium miserorum expectat omnium querelas et supplices libellos. Quare sibi dictum putent fideles in Ps. LXI. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Apagite vos Lutherani, qui hanc Christi familiaritatem nobis invidetis. Vel enim non potuit permanenter esse in eucharistia, vel non voluit. Non potuit? Quomodo ergo est omnipotens? Quomodo potest ibi esse dum sumitur? Non voluit? Atqui summe bonus est: et quid ejus bonitati conformius, quam hoc tam salutare et gloriosum institutum?

Tertio, ut hac sua præsentia nos animaret ad pugnandum contra acies diaboli et fortiter patientia quævis adversa. Trogus Valer. lib. VII. narrat Argeum regem Macedonum reliquisse filium parvulum; et cum deinde Macedones contra Illyricos pugnarent et vincerentur mox se collegisse, et regium infantem in cunis coram acie constituisse et ita mox vicisse, insinuantes sibi regem, non virtutem defuisse. Hunc in modum nos nisi Christi præsentia in eucharistia animaremur, quoties in adversis heu succumbere-mus! Quare voluit Christus tametsi instar infantis in eucharistia inter nos versari, ut ne deficeremus, sed fortiter ageremus, scientes coram esse aganohetam nostrum, qui ad militiam nostram attendit et coronas nobis parat. S. Petrus videns admortem duci uxorem suam, hac voce eam animavit: *Heus, tu memento Domini, teste Clemente Alexandr. 1. VII. Strom. Tu*

quoque memento Christi præsentis in eucharistia.

Quarto, in ejus memoria continuo versaremur. Solet discedens ab amico relinquere ei in memoriam seu memoriale aliquod, quo semper ipsius memor esset. Christus in cœlum a nobis recedens reliquit nobis corpus suum miro amoris annulo mirifice inclusum.

Quinto, ut probaret seu exerceret potius fidem, devotionem et religionem nostram erga ipsum: idque non tam ob gloriam suam, quam utilitatem nostram. Quemadmodum enim benedixit domui Obededom, quod arcam fœderis in domum suam recepisset ibique reverenter habuisset: ita benedicere etiam disposuit nobis, si ipsum hic velut regem nostrum deceater et obsequiose colamus, ejusque mensæ quasi aulici assistamus. Experiri igitur vult utrum Dei Filio asserenti se contineri in eucharistia, credere velimus, qui in primis nostris parentibus credidimus serpenti asserenti ligno vetito inesse vim deificandi: experiri vult, quanta reverentia ejus missæ quasi mensæ assistamus; quam avidè et quam frequenter ad hanc ejus mensam accedamus; quâ devotione et præparatione de ea participemus; quam ornatum et honorificum ei locum in templis assignemus et qualem domum ei edificemus; quam reverenter eum ibi visitemus et salutemus; quâ pompa eam in processione solemnè circumgestemus et comitemur; quâ humilitate et devotione eum adoremus, cum per plateas ad ægros deportatur. Hæc et his similia omnia nunc observat, suo tempore remuneraturus. Dicit enim ad fideles servos: *Hospes in terra vestra fui, nudus fui, captivus fui; et vos collegistis, operuistis et visitastis me: Venite benedicti.* Contra ad reprobos: *Hospes vester fui, nudus et captivus; et vos non recepistis, nec operuistis, nec visitastis me: Discedite maledicti.*

CONCIO IX.

QUA RATIONE CHRISTUS SIT CUM SERVIS SUIS JUSTIS.

I. Per singularem directionem. — II. Per singularem protectionem. — III. Per consolationem in tribulationibus. — IV. Per amorem et benevolentiam. — V. Per paternam correctionem. — VI. Per sufficientem sustentationem.

THEMA.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Math. XXVIII.

Hodiernum evangelium docet nos, auditores, non errasse Isaiam prophetam, quando, cap. VII. scripsit, *Christum vocandum esse Emmanuel.* Voluit enim dicere (per Hebraismum) fore Em-

manuel, id est, *Deum nobiscum*, sicut, et cap. VIII. dixit vocandum ei nomen: *Accelera, spolia, detrahe, festina prædari*: et c. IX. vocandum esse *admirabilem, consiliarium, Deum fortem, principem pacis, patrem futuri sæculi.* Ex hodierno vero evangelio discimus Christum esse illum Emmanuel, quia ad cœlum ascendens dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Porro multis modis Christus est nobiscum: per realem præsentiam in eucharistia, per suum evangelium, per suos vicarios et ministros, per suam providentiam et paternam sollicitudinem cum justis præsertim, de quâ postrema præsentia aliquid nunc dicamus.

Quibus modis Christus fuit cum discipulis cum adhuc in terris degeret, eidem etiam credendus est esse adhuc cum justis.

I. Fuit cum discipulis per singularem directionem, dum omnia quæ audivit a Patre suo, nota illis fecit, dum instruxit eos in officio apostolico, dum docuit orare, dum gladium Petri inhibuit, et iram filiorum Zebedæi refrænavit, per omnes denique vias præeundo duxit, etc.

Hoc pacto fuit cum magis, quando eos stella duce duxit ad præsepe suum, et reduxit angelo monitore per aliam viam, ne redirent ad Herodem qui ipsis positurus erat insidias. Sic fuit cum S. Petro, quando eum Romam duxit ad martyrium: et volentem inde discedere ac differre adhuc passionem suam, apparuit ei extra urbem dicens: *Vado Romam iterum crucifigi*, indicans eo verbo, tempus jam adesse, ut sequeretur eum Petrus in martyrio, seque nunc in illo velle crucifigi, Hegesipp. de excidio Jerosol. Sic direxit S. Ignatium societatis Jesu fundatorem, cum is aliquando Maurum in Deiparam blasphemum insequi et gladio mulctare cogitaret; abductus enim est in viam alteram præter opinionem et consilium suum ut ab oculis Maurum perderet, ne quid gravis peccati committeret in eum, Maff. in vita, l. 1. c. III. Quis neget a Christo ductam fuisse Mariam Magdalenam cum Martha, Lazaro et Maximino, quando navi imposita sine gubernatore et gubernaculo feliciter Massiliam deducta est, apud Baron. anno 35. Audiamus S. Paulinum, in epist. ad Maccarium scribentem de quodam sene catechumeno, qui in baptismo postea vocatus est Victor. Hic enim in navi solus, vi tempestatis abreptus sine temone, sine cibo, sine ulla hominum opè totis viginti tribus diebus in mari jactatus, a Deo et angelis protectus, pastus et deductus est. « Ipse enim Christus, ait Paulinus, nunc suo vultu cœsus, nunc S. Felicis ore venerabilis sedebat in puppi, senemque allectabat, qui inter ejus genua caput reclinabat, vidit et sæpius angelos

excubare navigio, et cuncta nautici muneris administrare: nec sane navim illam nisi angeli naturæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Viginti tres dies homo non modo a terris, sed ab hominibus exclusus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exul, diversi maris hospes, et exors generis humani, inter fluctus, et belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, jejuniis, senio, timore confectus, quæso te, numquid natura sua perduravit? Cui ergo obscurum sit, Deum in illo fuisse? Nam primo ad urbem acta, Romani portus pharum vidit: deinde Campaniam longis tractatibus legit mutatisque turbinibus in Africæ litora transvolavit, atque ab ipsis rursus abrepta, Siciliam transeurrit, ita freta sulcans, ut quasi divina navis, et immisso divinitus spiritu sapiens, sua sponte cavenda vitaret, sequenda peteret. Tandem finem errorum atque discriminum in Lucanis posuit littoribus. Ibi enim piscatorum opem inclamans senex, ab iis navi in litus protracta, portum vidit. Quocirca Deo gratias agens baptismum suscepto, vitam christianam et sanctam instituit. » Fusc hæc et eleganter narrat Paulinus. Ita fideles suos regit Deus, qui: *Deducit velut ovem Joseph.*

II. Per singularem protectionem: cum in mari periclitantibus opem tulit; cum protexit eos in monte Oliveti imperans cohorti: *Sinite hos abire*, quod et factum est; cum a Judæorum furore tutatus; cum eripuit sæpe e carceribus, etc. Ita fuit Deus olim cum Abrahamo, cui dixit, Genes. XV. *Nolite timere Abraham, ego protector tuus sum*, Heb. *ego sum clypeus tuus*, Septuaginta habent: *Ego hyperaspistes tuus*, seu *præambulo*. Sic protexit Deus Jacob patriarcham ab ira Laban soceri persequentis illum. Præmonuit enim Laban in somnis, ne ei quidquam mali faceret, ne aspere ei loqueretur, Gen. XXI. sic Davidem ab ira et persecutione Saulis, 1. Reg. XXIII. quando Saul in modum coronæ eum cinxerat: interim Deus immisit Philisthæos in terram Saulis, et nuntium qui id Sauli nuntiaret; ex quo coactus est Saul recedere ab obsidione Davidis: sic protexit Elisæum a Syris ad necem eum quærentibus, percutiendo eos cæcitate, IV. Reg. VI. simili modo Loth a Sodomitis, Gen. XIX. Sed jam ad novam legem. Sic protexit Christus Gregorium thaumaturgum Neocæsareæ Ponti episcopum. Cum enim is cœmte suo diacono persecutores fugiens, in montem ascendisset et orasset, proditus est a quodam persecutoribus, et in monte undique cinctus. Sed cum eum quærerent, duas tantum arbores juxta se positas viderunt. Proditor contra Gregorium cum diacono ibi esse testabatur; sed cum persecutores dicerent se homines non vi-

dere arbores tantum videre, proditor miraculum et divinam vivorum protectionem agnoscens rediit ad illos, et ad pedes eorum advolutus Christianus factus est, Greg. Nyss. in vita. Miro etiam modo Wenceslaus Bohemorum ducem tutatus est. Cum enim Uradislaus dux Gurimensis terram illius infestasset, ideoque bello abigendus esset, movit contra eum Wenceslaus: verum solo cum Uradislao congredi voluit Wenceslaus; ne tot millium sanguis funderetur. Itaque supra cili- cium lorica indutus, et brevi gladio instructus processit contra Uradislaum thorace ferrea, hastaque longa et præacuta armatum, dices Davidem congredi cum Goliatho. Wenceslaus signo crucis frontem munit, alter hastam in illum vibrat, jamjam occisurus. Sed en angelus Domini ferientem corripit hac voce: *Ne feri.* Circumspiciens Uradislaus cum neminem vidisset, Dei vocem et vim agnoscens procidit ad pedes Wenceslai veniamque ab ipso precatur, Jo. Dubrav. in hist. Bohem. et Sur. tom. VII. Theophila virgo in persecutione Diocletiani et Maximiani protracta ad patibulum, cum Deum invocasset in suæ castitatis custodem, sacræ lectioni incumbens anhelum juxta se custodem accepit. Qui primus ad eam violandam ingressus erat, mortuus corruit. Secundus nimio angeli splendore excæcatus fores, quibus exiret, quærebat: similiter et alii. Unde cæteri rem videntes, se proripuerunt fuga. Angelus virginem eductam Christianorum cœtui restituit, Baron. anno 301. Scimus ex breviario S. Felicem presbyterum Nolanum inter duos parietes, prætextu telæ araneæ defensum a lictoribus. Unde is dixit: *Præsentate Christo aranea fil murus, absente Christo murus fit aranea.* His addamus Christianos, qui ad annum Domini 1098. in bello sacro a papa pro recuperanda Jerosolyma indicto cum essent Antiochiæ in summa desperatione, eo quod prope adesset infinitus pene Turcarum exercitus, ipsi vero pauci essent ac fame prope enecti, ita ut fortissimi etiam viri baculis nixi incederent, et paucissimos equos haberent, ipseque copiarum dux Godefridus Bullionius commodato uteretur equo et multi principes asinis insidere cogerebantur, tandem manifestam sensere Dei opem, quando eis revelavit Deus ubi esset lancea, qua Christi latus in cruce perforatum fuit, eaque in bello prælata miram dedit victoriam, ita ut occiderint centum millia Turcarum. Cecidit etiam ros divinitatis in illos, qui animis et corporibus vires addidit, apparuerunt etiam tres viri sancti de cœlo pro illis pugnantes. Ita refert Paulus Æmilius, l. IV. hist. Franc. Guil. Tyrius, l. VI. Dodechinus et alii.

III. Per consolationem in tribulationibus et angustiis: cum in ultima cœna contristatos de

suo discessu jam imminente, longo et dulcissimo sermone solatus est; rursus post resurrectionem suam et alias quoties opus erat. Sic etiam adest justis aliis in tribulatione positis, juxta id Psal. XC. *Cum ipso sum in tribulatione.* Addit enim afflictis talem consolationem, qua malunt crucem ferre, quam sine cruce esse. Intellexit hoc S. Andreas, cum gaudio ad crucem properans, veluti ad convivium, et summo animi solatio biduo in ea pendens, nec refigi volens. Experti hoc in veteri lege tres pueri in fornace, cujus medium fecit Deus, quasi ventum roris flantem, Dan. II. In nova expertus est S. Theodorus juvenis, qui sub Juliano imperatore ab hora prima usque ad decimam in equuleo tortus et acutis testis suffossus, psallium decantabat quasi nihil sentiret. Et tortura depositus dixit, se non quidem omni doloris sensu caruisse; adstitisse tamen sibi adolescentem, qui tenuissimo linteo sudores abstergebat, et aqua frigidissima corpus perfundens, ardores restinguebat, et ærumnas sublevabat, quod adeo se audivisse Ruffinus, l. II. cap. XXX. testatur, cum Antiochiæ esset. Huic addamus alterum Theodorum ducem exercitus (apud Surium 7. febr.) qui cum in nomine Trinitatis draconem infensissimum interemisisset, imperatoris Licinii deos aureos et argenteos confregisset, ac pauperibus distribuisset, (qua ratione plurimi Christo nomina dabant) imperator eum accersitum omnibus inimicorum phalangibus ridendum exposuit. Beatus autem Theodorus dixit ei: «Fremis, o imperator, sed ego rugio: tu stertis, at ego exilio: tu cum Deo pugnas, ego de Deo dissero: tu blasphemias, ego vero Deum hymnis laudo: tu colis deos mortuos, ego vero Deum vivum: tu Seraphim, ego vero Deum semper viventem: tu es carbo Thracius, ego vero princeps Romanus: tu Licinius venulator, ego vero Theodorus donum Dei. Quamobrem ne ægre feras o imperator, neque calcitres: hæc enim faciens, tuos ostendis cruciatus; asini enim et muli tenes figuram.» Tunc multa ira plenus Licinius jussit boum nervis eum cædi, plusquam mille plagas ei inferri. Deinde, ferreis unguis lacerari ejus carnes, et lampadibus ignis ustulari ejus ulcera, et acutis testis radi concretum sanguinem. Post hæc martyrem ligno affligerunt per manus et pedes. Arbitratus autem impius Licinius eum esse mortuum, reliquit in ligno pendentem. Circa primam vero vigiliam noctis adstans angelus Domini solvit eum, reddidit eum sanum corpore, sicut prius, eumque salutavit, et dixit: «Gaudeas et corroborearis in sapientia et gratia Domini nostri Jesu Christi. Ecce enim tecum est Dominus Deus: et cur dixisti: Recessisti a me? Consumma ergo cursum tuæ

dæsertationis, et venies ad Dominum nostrum Jesum Christum, accipiens coronam immortalitatis.» Hæc cum martyri dixisset angelus, ab eo recessit. Sanctus autem martyr Domino suo agebat gratias, et cœpit psallere: *Exaltabo te Deus meus, rex meus, et benedicam nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi.*

Victor natione Maurus, primævæ ætate Christianus, cum esset in castris imperialibus miles, compellente Maximiano ut idolis sacrificaret, fortissime restitit; unde primo, graviter fustibus cæsus, sed Deo protegente, doloris expers, deinde liquente plumbo perfusus orabat: *Domine Jesu Christe, propter cujus nomen hæc patior, adjuva me et libera me sicut liberasti pueros immaculatos de camino ignis, et confudisti tyrannum: ita et me quoque nunc libera, ut erubescat Maximianus cum satellitibus suis.* Mox adfuit angelus Domini, plumbumque ita refrigeravit, ut esset instar aquæ e fonte manantis, nec ulla ex parte martyrem læsit. Ita narrat oculatus testis, Maximianus notarius, in ejus vita, 8. maii, apud Sur. Hoc mirum est, quod prædixit Deus justo per Isaiam, c. XLIII. *Cum transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, etc. et Ezech. XXXIV. Ero pastor ipsorum, et ero prope ipsos, sicut tunica prope corpus ipsorum* (sic enim legit Clemens Alex. l. 1. pædag. c. IX.) Quammodum ergo tunica, præsertim crassa, primo excipit ictus, eosque lenit ac mitigat ut minus doleant, sic mitigat Christus dolores servorum suorum.

IV. Per amorem et benevolentiam specialem: *Cum enim dilexisset suos, in finem dilexit eos,* inquit S. Joannes descripturus amorem Christi, quo discipulis suis lavit pedes. Eundem illis exhibuit in sacra eucharistiæ porrectione, nec non alias innumeris modis. Sic adfuit etiam in veteri lege Abrahamo contra Pharaonem, quando ob uxorem ei ablatam flagellavit Pharaonem et domum ejus plagis maximis, donec is redderet uxorem Abrahamæ inviolatam, Genes. XII. Propter unum itaque justum flagellavit regem et regiam. Unæ Abraham justus plus Deo curæ fuit, quam Pharaon cum tota sua regia, unde eidem ait. *Ego protector tuus sum,* Gen. XV. Sed incipiamus exempla novæ legis. In hac occurrit inter alios rursus S. Wenceslaus Bohemiæ princeps, de quo hoc narrat cardin. Bellarminus, l. III. de princip. christ. «Otho imper. deliberandi causa diem ad conveniendum principibus Wormatiæ edixerat, quo ubi Wenceslaus quoque vocatus, sine ulla dilatione venisset, dicitur postridie, dum solemne sacrificium cunctantius sacerdos facit, ipse similiter cunctantius curiam introiisse, eamque moram

quasi ex ambitione nata fuisset, principes adeo ægre tulisse, ut conspirarent, ne quis ipsorum venienti assurgere, nec supra se locum considendi dare vellet. Persuasum denique Cæsari fuisse, ut sine ullo honore Bohemum velut arrogantem transmitteret. At Cæsar ex conspectu duorum angelorum, qui Wenceslaus in curiam deducebant, subitoque ibidem disparuerunt, obstupefactus, throno exilit, adversum vadit, ipsumque Wenceslaus tantum non adorat, ac manu mox sua ad subsellia perductum, assidere sibi proximum jubet. Cæteris vehementer factum admirantibus, Cæsar facti causam aperit, vicissimque miratur, quod nemo præter se quispiam angelos, tam clarum manifestumque sui spectaculum exhibentes, oculis suis aspexerit. Hic Moguntinus pontifex, se quidem nihil plane vidisse inquit, cæterum horrore quodam se perfusum fuisse confitetur, ac tunc demum famæ quoque nuper infulgatæ, quemadmodum videlicet interventus numinis, ab hostis impetu servatus fuerit Wenceslaus, fidem se habere, quando in præsens paria numina eundem a calumnia vindicaverint: quare inde simul universi errati veniam deprecantur.

V. Per paternam correctionem: ut, cum Petro dixit: *Vade retro post me Satana: et cum euntibus in Emmaus dixit: O stulti et tardi corde, etc. et filiis tonitru: Nescitis quid petatis: et alibi: Nescitis cujus spiritus estis, etc.* Hac ratione adfuit inter alios Dominus S. Martino episcopo, qui aliquando compulsus quadam urgente causa, ut nimirum innocentes aliquos liberaret a gladio Maximi imp. concessit aliquantulum in partes Ithacii a Concilio damnati, communicando cum episcopis Ithacianis in ordinatione Felicis episcopi Trevirensis (tametsi ut illi ordinationi subscriberet, adduci non potuit) satius putans ad horam cedere, quam innocentibus non succurrere, quorum cervicibus gladius imminebat. Verum postero die inde se proripiens, cum in via mœstus ingemisceret se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum, angelus ei repente assistens: *Merito, inquit, Martine, compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris.* Ita ab eo tempore satis sibi cavet ab Ithacianis, Severus, in vita, l. III. dial.

VI. Per sufficientem sustentationem, uti patet. Sic providit Danieli in lacu leonum posito: sic Eliæ per corvo tempore famis: sic et Paulo eremitæ, procurando ei quotidie dimidium panem corvo latrone. Sed recentius exemplum audiamus. Petrus Casinius vir doctrina et religione celeberrimus, vitæque integritate clarus: «Cum e stomacho cibos aversante cepisset

laborare, sæpius a ministro cubiculi fatigatus, ut significaret quo cibi desiderio teneretur, aviculam tandem nominavit. Prodiit in forum œconomus, nullaque reperta tristis domum rediit; cum ecce ad vesperam aperta fenestra cubiculi, avis quasi divinitus immissa, se nullo negotio capiendam, tantum non ulro offert. Qua in cœnam apposita, et parva et unica contentus, nihil præterea gustavit, ille tamen laute se opipareque eo vespere epulatum affirmabat. Ita refert in ejus vita Matth. Raderus. Quis dubitat hanc cœnulam a Deo ipsi paratam fuisse? Aliis Dei servis necessaria re destitutis servierunt quævis creaturæ pene ad quidvis. Fuere enim anachoretæ, qui destituta ænea suppellectile, coxerunt obsonia in ligneis vasis. Inter hos duo, ut scribit Greg. Turonensis, in glor. confess. cap. XCVIII. convenerant, deque rebus divinis verba miscuerant. Hospitem alter convivio excepturus, olera ex propinquo horto collegerat ad utriusque epulas, cumque æneum vas non suppeteret in illa tanta rerum inopia, accenso foco ligneum lebetem aqua plenum igni superposuit, quem etiam majorem in modum incendit. Fervente lebete, obsonia perinde excocta sunt atque æneo vase, nulla lignei vasis adustione. Admiratus autem est rei miraculum hospes; at alter respondit, jam se plures annos eremum ibi colere, neque alio vase, quam illo ipso ligneo obsonia concoxisse. Neque vero illud insigne miraculum solis ipsis patuit anachoretis, verum etiam, qui Augustodunensem agrum inhabitarent, plerique id spectarunt. Alius in defectu olei aquam affudit lampadibus, uti Constantinus mansionarius ecclesiæ, Anconitanæ S. Stephani, et arsit aqua perinde ac si oleum esset, ut testatur S. Greg. M. lib. 1. dial. c. V. alius deficiente clavo vel funiculo, eorum vice usus est radio solari, uti S. Goar. presbyter, qui cum delatus fuisset ad episcopum Trevirensis velut vir scelestus, ad illum mox est profectus calumnias parvipendens, magni autem faciens obedientiæ virtutem. Ingressus igitur episcopi ædes, defessus, cum nusquam posset tunicam seu cucullum suum deponere, solis radium intra cubiculum descendentem aspiciens, tunicam ab eo radio suspendit, omnibus id conspicientibus, diu etenim illum in modum suspensa vestis mansit, donec ipse quoque conspexit episcopus, Waldebertus diaconus, in vita S. Goaris, c. IX. X. apud Surium, tomo, 4. julio. Patri ratione S. Otho ad Metenam flumen primum eremita securim suam ad radium solis suspendit, quod in venatione ibidem deprehendit Carolus Magnus, indeque viri sanctitatem, cui ibi cœnobium extulit nomine Meten, ad Danubium in Bavaria, Rader. in Bavaria s. p. II. S. Simeon

Salus oculorum dolorem alteri, sinapio et alio depulit, nec acero adhibito, quibus alioqui rebus destrui solent oculi, Leont. in vita, apud Sur. tom. IV.

Hæc dixisse sufficiat, ut ex paucis argumentis colligamus amorem et favorem, quem servis suis Christus Dominus exhibuit. Quisquis ergo Christum Dominum sibi assistentem habere desiderat, curet, ut sit servus et amicus ejus, justis enim ea promissio facta est.

CONCIO X.

MYSTERIA.

- I. Ubi Christus verba hodierni evangelii locutus: et apparitio in monte Galilæe omnium celeberrima?
- II. Quando et cur data est Christo omnis potestas? — III. Cur baptismus aquæ institutus? — IV. Cur in nomine Trinitatis administrandus? — V. Cur non explicavit Christus mysterium Trinitatis? — VI. Quæ illa Christi mandata servanda? — VII. Quæ ratione Christus semper est cum Ecclesia?

THEMA.

Euntes ergo docete omnes gentes. Matth. XX.

Divus Bernardus, in sermone de sanctissima Trinitate ita scribit: «Est Trinitas a qua homo cecidit, Pater, et Filius et Spiritus sanctus: et est trinitas quæ cecidit, intellectus, memoria, et voluntas: et est trinitas in quam ista cecidit, impotentia, ignorantia et concupiscentia: et est trinitas per quam trinitas cadens resurgit ad trinitatem e qua cecidit, scilicet fides, spes, et charitas.» Ita S. Bern. cui nos aliam aliamque trinitatem possumus adjungere in hodierno evangelio: tria, inquam, officia Christi Domini, quibus orbem administrat; deinde tria media quibus fideles suos ad æternam felicitatem perducit. Igitur in hodierno evangelio tria præstat Christus quæ sunt boni principis officia. Primo, asserit se legitimam habere potestatem a Deo Patre acceptam ad Ecclesiam gubernandam, sive militantem sive triumphantem: deinde, potestatem illam incipit exercere, ablegando in orbem apostolos suos, quibus tria mandat ad salutem necessaria, catechismum seu instructionem fidelium, baptismum, et mandatorum observationem. Primum, ut doceant omnes gentes per universum orbem: secundum, ut baptizent in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti. Tertium, ut jubeant eos servare mandata sua: denique, promittit eis opem et assistentiam suam ad exequendum munus apostolicum. Quæ omnia summo consilio a summa sapientia gesta sunt, ideoque penitus inspicienda.

- I. Ubi Christus verba hodierni evangelii lo-

cutus est? Resp. in Galilæa supra montem, quem constituerat Dominus; (cæteris enim apparitionibus locum non assignavit.) Unde apparet hanc apparitionem fuisse celeberrimam. Primo, ratione multitudinis, quæ eo confluit. Credibile enim est adfuisse omnes Christi fideles qui tunc ei adhæserant, atque, ut multi putant, plusquam quingentos fratres, quibus apparuisse Christum scribit apostolus, 1. Cor. XV. siquidem in Galilæa absque metu convenire poterant, quod non licebat eis in Judæa ob furorem Judæorum. Secundo, ratione loci, qui fuit mons spatiosus, atque, ut putatur, Thabor; quo nimirum ibi monstraret palam gloriam suam, stabilem et inamissibilem, ubi prius paucis monstrat eam obiter ad breve tempus, in passione obscurandam. Tertio, ratione rerum, quæ ibi tractatæ sunt, maximi momenti. Declarat enim ibi Dominus se regem cæli et terræ constitutum: ablegat apostolos ad universum orbem sibi subjugandum: promittit illis continuam et perpetuam assistentiam.

II. Quando, et quo titulo data est Christo omnis potestas? Resp. triplici. Ratione æternæ generationis, ratione incarnationis, ratione passionis, ac mortis ejus. Primo ergo, quia Deus accepit potestatem cæli et terræ a Patre per suam generationem ab æterno. Secundo, quia homo accepit eam ob unionem hypostaticam instanti incarnationis suæ, sed per modum habitus et hæreditarii juris, nondum plene usurpati. Tertio, item qua homo ob meritum passionis et mortis suæ quoad usum et plenarium exercitium. Triplici ergo titulo ipse noster Dominus est et nos servi sumus: divinitatis, hæreditatis, meriti. Unde bene David semel, iterum, tertio servus ejus se appellat: *O Domine quia ego servus tuus et filius ancillæ tuæ*, Psalm. CXV.

III. Cur baptismus aquæ a Christo institutus et præceptus ad salutem consequendam? Resp. ob plures causas sive congruentias. Primo, ut spiritualis hominum regeneratio responderet primæ animantium generationi, quæ ex aquis facta est, Gen. 1. *Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram*. Reptilia significant Christianos, terræ et terrenis cupiditatibus addictos, quasi humi reptentes, et proinde immundos: volatilia Christianos cælo et cælestibus bonis intentos, Deoque addictos: rursus reptilia sæculares: volatilia religiosos notant: et sicut reptilia longe plura sunt quam volatilia, ita longe plures reprobi quam probi, sæculares quam religiosi. Præterea ut docet Aristoteles, humiditas requiritur ad generationem corporum: ad ejus igitur imitationem accommodavit Deus spirituales.

Secundo, quia apte representat causam effici-

cientem gratiæ baptismatis, mortem Christi videlicet. Nam uti Christus morte superata terræ commendatus et tertia die sine carnis corruptione resuscitatus est: ita qui baptizatus aquæ immergitur, indeque rursus *nox* emergitur sine læsione: ut sciat se Christo consepultum ejusque temporali morte ab æterna morte ereptum esse.

Tertio, quia representat principalem baptismi effectum, qui est ablutio a peccatis. Ut ergo per aquæ mersionem vel lotionem purgatur homo a sordibus corporis, ita per baptismum abluatur a sordibus animæ: juxta id Ezech. XXXVI. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Accedunt alii effectus minus principales; ut enim aqua temperat æstum, radios solares excipit et representat ipsum solem, etc. ita baptismus concupiscentiæ et vitiorum ardorem refrigerat, characterem et præterea gratiam, splendidissimam Dei imaginem homini imprimit. Ut ergo internas baptismi operationes intelligeremus, externam abluitionem statuit adhibendam Dominus.

Quarto, quia aqua passim reperitur omnibus communissima. Tali autem materia indiguit sacramentum omnibus necessarium ad salutem. Sufficit autem in necessitate quævis aqua elementaris. Nihilominus Ecclesia solet ab antiquissimis temporibus (ut habetur apud Clem. et Dionys. apost. discipulos, Basil. Ambr. August. et alios) benedicere seu consecrare aquam baptismalem et adhibere ad baptismum, tum ad excitandam hominum devotionem, tum ad pellendas diaboli insidias, tum ad sacramenti reverentiam. Refert Greg. Turonensis, de gloria martyrum, c. XXIII. in Lusitania singulis annis quodam loco pridie paschæ baptisterium aquis miraculose repleti consuevisse.

IV. Cur in nomine Sanctissimæ Trinitatis administrati mandatus? Resp. primo, quia Sanctissima Trinitas salutis nostræ origo, causa et fundamentum est: proinde baptizando expresse proponi debet, ut eam confiteri et profiteri queat. Secundo, per baptismum præparatur in homine habitatio toti Trinitati: ergo eidem expresse assignanda est, quo modo habitaculo Cæsari decreto inscribi solet: *Cæsarea majestatis mansio*. Eo facit Græcus textus, qui habet *in seu ad nomen Patris, etc.* Tertio, quia baptismus a tota Trinitate vim justificandi habet. Propter has, ut arbitror, causas in baptismo Christi tota Trinitas se præsentem sensibilibiter exhibuit, Pater, in voce: *Hic est Filius meus dilectus*: Filius in humana natura: Spiritus sanctus in columbæ specie, super eum se demittens. Discant hinc, qui baptizant, necessario et essentialiter exprimentam esse Sanctissimam Trinitatem: nec